

fan ἀνύμω Typographi artem suam occultare volentis, atque a deo Libellum illum non manu scriptum, sed impressum esse. Sed enim, quod vel Profodia docere poterat, sine manibus hic allusio est ad Virgilianum illud: *Quisque suos patimur manes*, nihilque vult aliud, quam Textum sine naevis exaratum esse, ut pluribus dixi in *Miscellis meis vernaculis seu Lesefrüchte* 1797. 8. editis P. I. p. 44.

## DLXXIV.

R. 3128 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 60. 4. per duas columnas non una manu et primum minutius exaratus, rubro distinctus et olim *monasterij canonicorum regularium ordinis S. Augustini ad S. Dorotheam wienne* continet I. *Breviloquium D. Bonaventurae*, prout habetur Edit. *Lugd. Opp.* 1668. T. VI. p. 5. et init: *Fleto genua mea ad patrem domini nostri ihesu christi &c.* A quibus verbis cum etiam ejus *Soliloquium* ineat, cavenda est confusio. *Breviloquium* nostrum dogmaticum est et didacticum; *Soliloquium* vero mysticum et affectivum, praeterea Dialogo inter Animam et Hominem scriptum.

II. a fol. 31. ad finem Codicis habentur Conceptus praedicabiles, seu Notata homiletica de diversis Materiis moralibus, quorum priora certis per annum Festis ad commodata sunt, puta de *Assumptione*, *Annunciatione*, *Natiuitate beate virginis*, *Epiphania &c.*

Posteriora, eaque plura, quaquaversum evagantur, v. g. *de die Judicij*, *Quod multi dampnantur et pauci saluantur*, *De duodecim condicionibus creaturarum*, *De decem beneficijs que nobis christus contulit per incarnationem suam*, et ita passim numerica.

## DLXXV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 110 XV. Folior. 159. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas a diversis exaratus, minioque distinctus I. titulum praefert: *Incipit brevilloquium*. Nempe *Bonaventurae O. M. Card. Scriptoris Sec. XIII.* Initium: *Fleto genua mea ad patrem domini nostri ihesu christi &c.* Divisum est dogmaticum istud Compendium in VII. *Partes*, earumque *Capita*, ut in Edit. *Opp. omn. Lugd.* 1668. T. VI. p. 5. quacum Exemplum praesens satis consonat, si demas *Prooemii* finem, qui in Edit. est: *et septuaginta duobus capitulis distinguuntur*; in Codice vero procurrit multo longius omnium *Partium* et *Capitulorum* sistendo Titulos, qui cum alioquin ante *Partes* et *Capitula* fingillatim habeantur, hic consulto ab Editoribus omitti videntur. Elocutio saepe variat. Finis Opusculi: *donec intrem in gaudium dei mei qui est trinus &c.*

II. fol. 64. Opusculum alterum, quod ἀνέκρυφα incipit: *Postulat a me uestra dilectio, ut de Articulis fidei et ecclesie sacramentis aliqua uobis compendiose pro memoriali transcriberem &c.* Est ve-

ro *Thomae Aquin. Bonaventurae* amicissimi sub exordia Typographiae prelo frequenter subjectum, et receptum in T. XVII. *Oppomn.* edit. Rom. 1570. ubi fol. 61. est *Opusculum n. V.* et finit: *corpus spirituale in vitam et gloriam eternam, ad quam gloriam nos perducatur pater et filius et spiritus sanctus. Amen.* Non optimo Exemplari usum fuisse Librarium nostrum declarant vocum spatia hinc inde relicta.

III. fol. 73. p. 2. Enumeratio quarundam Sententiarum erronearum, ut plurimum *Pelagio* tributarum, cum brevi refutatione, quae definit in *Errores XXIV. Graecorum.* Videtur initio truncata; incipit enim: *quod oratio boni hominis preualeat misse sacerdotis, contra dignitatem est sacramenti.* Censeo praemittendum: *Dicere;* nam reliquae Propositiones ferme omnes ita inchoant v. g. *Dicere quod aliquis veniat ad hoc, quod deo non indigeat, blasphemiam est in deum &c. Dicere quod &c.* Finis: *Item quod Prelati grecorum Sacerdotes et Religiosi iniungunt penitentiam grecis ut interficiant latinos.* Unde haec accepta sint, ignoro.

IV. fol. 77. p. 2. *Evangelium*, ut e calce adsumo, *nichodemii.* Initium est: *Factum est in anno XVIII. Imperatoris Tyberij cesaris Romanorum et Herodis filij Herodis Imperatoris galilee. anno XIX. principatus eius. VIII. kalen. Aprilis. quod est XXI. mens. marcij. consulatus filij vellionis in*

*anno IIII. CC. II. olimpiadis sub principatu iudeorum sacerdotum. Anne et Cayphe post crucem et passionem domini Historiatus est nichodemus aeta a principibus sacerdotum et reliquis iudeis. Mandavit ipse nichodemus literis hebraicis.* Chronologia haec pariter praemittitur in *Exemplo*, quod dedi *Vol. I. P. 1. col. 453.* in vetusta Editione literis *Gunth. Zeiner s. l. et a. f.* in *Versione germ. et anglosax.* a *Fabricio* in *Cod. Apocr. N. T. P. I. p. 235.* citatis; at vero Editio in *Orthodoxograph. T. I. p. 643.* et ipsa *Fabriciana l. cit. p. 238.* eam ad calcem habent. *Corruptio* ejus vel ex adsignato *Consulatu* liquet; jam enim, ut vidimus, *consulatus filij vellionis*, jam *consulatu Rufini et Rubellionis*, jam *consulatu Rufi vellionis*, jam *des Ratbs des Sun Nestionis*, jam plane *consultatoria Revelationis* legitur. Dignum sane patella operculum. Deinceps Exemplar praefens cum *Fabriciano* coincidit in his verbis: *Anna et Cayphas et Sobne et tathan Gamahiel Judas Levi &c.* verum cum §. ejus *XXVI.* in his definit: *ac posuit in codicibus publicis pretorij sui; statimque sequitur: Post bec scripsit (Pilatus) hanc epistolam ad claudium Imperatorem augustum;* et ipsa *Epistola.* Lectionis varietatem in re frivola adnotare non duxi operae pretium; id tamen non praetereo, *Pilati uxorem*, quae *Fabricio* adpellative *procul posita* est, *Codici* nostro proprie *Proculam* esse, quo nomi-

ne

ne etiam apud Graecos quosdam et in *Pseudodextri* Chronico venit.

V. fol. 86. Omisso *Alexandri* nomine Epistola: *Ad aristotilem magistrum suum de itinere et de situ Indie*. Jam indicatus spurius hic foetus isto *Vol.* ut *Index* docet. Ejus initium est: *Semper memor tui eciam inter dubia bellorumque nostrorum pericula, karissime preceptor &c.* Non optimum nactus Exemplar Librarius spatia vocum quandoque nuda destituit. Pagina 1. ab alia manu emendata est. In fine quaedam defunt.

VI. fol. 96. p. 2. *Liber belli magni alexandri hic incipit*. Videlicet ita: *Egyptii sapientes — ati (nati, fati?) Genere diuino primum feruntur permensi quod sunt terram ingenij peruicacia et ambitum celi stellarum numero adsecuti, quorum omnium neftaban prudentissimus fuisse comprobatur. &c. Neftabanus, Neptanebus, Aneftanabus, Neftanebis* juxta putidam hanc Fabellam adfumta per magiam draconis forma *Jovem Hammonem* mentitus *Alexandri* ex *Olympiade* pater factus est, ut alia absurda taceam, quae per vitam *Alexandri* usque ad ejus sepulturam decurrunt in Exemplaribus integris; nostrum enim in narratione de *Candauro* et *Ptolemaeo Alexandrum* simulante deficit, pluraque omittit alia, et inter cetera totum *Alexandri* cum *Bragmanibus* negotium, quod Fabulae confarcinator certe *Palladio* sublegit. Atque in hoc ipso loco deprehen-

diffe mihi videor vestigium Patriae ejus; ait enim, *Alexandrum* a transeundo ad *Bragmanas* flumine prohibitum fuisse, quod erant ibi *yppotami multi* — et *cocodrilii*, quae *μεταδεσις* pro *Crocodili* in usu *Italorum* est. Ut ut se res habeat, mature Commentum istud prela inuasit, et variis quidem linguis: Latina quippe *Argentinae* 1486. 89. 90. 94. *Romae* 1490. praeter Editiones *sine l. et a. binas*, quarum una f. *min.* 92. altera 4. folia 62. censet. Italica *Tarvisii* 1474. *Venet.* 1477. Belgica *Delphis* 1488. et 91. Germanica *Augustae* 1472. 73. 78. 80. 83. *Argentinae* 1488. et 93. Et hic quidem indigne *Eusebio* tribuitur; interpretem tamen teneamus *Johannem Hartlieb* Medicum versione sua *Alberto Bav.* Duci gratificatum, quem unde *Fabricii Biblioth. graeca* L. III. c. 8. n. II. *Mollerum* cognominet, nescio, quemadmodum nec *Jul. Valerium*, nec *Radulphum Abb. S. Albani*, aut *Galfredum Hemlingtonum* Fabulae nostrae haecenus autorem puto. Siquidem eam *Qualibinus* quidam *Aretinus* versibus elegiacis illigavit, ut *Fabricio* l. cit. p. 277. visum, Sec. saltem XIII. extitit.

VII. fol. 113. *Liber Soliloquiorum Beati Augustini*. Subposititius ille et recentior, qui incipit: *Cognoscam te Domine cognitor meus &c.* Integer est, ut legitur *Opp. Augustini* edit. *Maur.* T. VI. *append. col.* 85.

VIII. fol. 139. ἀδελφότητος Epistola D. Hieronymi ad Eustochium, quae incipit: *Audi filia et vide et inclina aurem tuam* &c. et habetur Edit. Vallars. T. I. n. XXII. col. 87. Pariter in Codice integra.

IX. fol. 155. p. 2. Sophronius eusebius Jeronimus Oceano suo salutem. *Deprecatus es ut tibi breuiter exponeremus* &c. Epistola spuria in T. XI. a Vallarsio rejecta ad col. 270. et in Codice ultimo Capite mulctata.

X. fol. 157. absque inscriptione pariter spuria et rejecta T. eod. ad col. 227. hoc initio: *Qui ethiopem inuitat ad balneas* &c. Integra est, et in Edit. audit: *Ad Pammachium et Oceanum.*

## DLXXVI.

U. 908 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 221. f. per duas columnas non una manu, et multis vocum compendiis exaratus, coloribus distinctus, ab aevo, fituque non optime habitus, et olim inter XVII. Volumina ab Andrea de Weytra Theol. Prof. et ad D. Stephanum Canonico transscripta Collegio Ducali in Vienna insignitur minio: *Quintum sextum quodlibeta et pars de septimo Godefridi de fontibus secularis, et fecit 14<sup>m</sup> quodlibeta in toto.* Tò Secularis litem dirimere videtur inter Literatores, quorum quidam, ut Waddingus et Tannerus Godefridum seu Galfredum de Fontibus aut Fontanis Fratrem Minorem, alii, ut Oudinus et Foppenius Canon. Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

cellarium Paris. aut plane Episcopum Camerac. voluere. Codex noster illius tempora fati adtingit; vixisse enim circa a. 1280. creditur. In anteriore Theca hanc rubricam a Sec. XIV. manu lego: *Apud predicatores Wyenne iacet in eorum libraria quidam liber continens 14. quodlibeta godefridi de fontibus non secundum ordinem secundum quem ipse fecit, sed quomodo allegat eum quidam frater ordinis predicatorum, bernhardus scilicet episcopus claromontensis, qui sicut impugnauit et corripit Hainricum de gandauo in suis quodlibetis, sic et istum impugnat et corrumpit, Et ideo liber prenomiatus potius dicatur corruptorium Godefridi quam eius quodlibeta.* Non favebant in decisionibus suis Henricus et Godefridus religiosi Ordinibus, ut tunc passim fervebat aemulatio. Exemplo sit Godefridus, qui Quodl. V. Quaest. 16. nobis fol. 9. p. 2. hanc propugnabat Thefin: *Status sacerdotum parochialium est perfectior quam status religiosorum;* unde etiam ab Oudino T. III. col. 584. *antimonachus* et *antiregularis* dictus est. In illum igitur, uti in Gandavensem et Jacobum de Viterbio O. Aug. infurrexit Bernhardus de Arvernia, ut habes in Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 492. ubi tamen de Claromontano ejus Episcopatu minus fidenter pronuntiatur. Porro Quodlibetum V. a quo Codex noster auspicatur, incipit: *Querebantur quedam circa deum quedam circa creaturas. Circa deum quedam querebantur pertinentia ad es-* sen-